



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Caput XIV. De eo cui fit Votum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

actiones speciem suam, & essentiam trahunt; Contra
vota ad essentiam promissionem non pertinet causa solum
impulsiua. Hinc, si vocaretur Neapolim, quia credis
esse corpus sancti Nicolai, corrumpitur votum: quia error
est in causa finali; at verò si adesset Laureti tuus ille
cuius forte occasione peregrinationem vovisti,
cuius voti vinculo teneris; quia amici visitatio solum
est causa motiva.

11. Quid si sancta Domus Lauretana aliò, v.g. transla-
ta esset, vel corpus modò dictum sancti Nicolai alibi in-
veniretur? Respondeo, si multum, seu notabiliter in loco
pau distanti, quam à te distat Civitas Neapolitana, &
Lauretana, inueniretur, sanè dissolveretur votum: si pa-
ram non item, sed obligabit, ut ex modò dictis à num. 4.
colligitur.

12. Hæc doctrina probat non solum, si dicta causa
finalis non adit, seu ignoretur tempore, voti, votum non
obligare, sed etiam illa esset post factum votum, etiam si
illam intendisset, & adesse scivisset vovens. Quare si to-
tus tuus finis vovendi peregrinationem Lauretanam fuit
ut Virginem salutes, si casu Laureti deficeret sancta
Virginis Domus, deficeret & Votum.

13. Quod si affuerit duo fines principales, v.g. visita-
tio Virginis, & confessio facienda cum docto Confes-
sario Laureti commorante, deficiat autem alteruter ex
his, vel in alterutro erretur, non valebit votum, si per
modum unius, vovisti; quia jam tuus finis deest, at si non
per modum unius, sed separatim, valebit: quia jam con-
stitutum alter ex finibus, qui cum sit principalis, firmitatem
voto latis communicabit. Quod si alter finis dependen-
ter ab altero fuisset intentus, certè elanguere te eo, quò
est dependentia, elangueret, & votum. Exemplum est in
promissione, quam cum voto emisit Episcopus Trecenti-
na cap. Magna, de voto, de Hierosolymitana peregrina-
tione, animo obtinendi libertatem suæ Ecclesiæ à Co-
mune Campaniæ, ibidem commorante; ut enim mor-
tuum cum esse perlatum fuit, fuit & nulla iudicata pro-
missio. Dices, at Pontifex illud votum commutavit, ergo
publicatum fuit validum. Respondeo cum Sanchez lib. 4.
de cap. 2. num. 43. commutasse Pontificem ob dubium,
quod peregrinatio promissa fuisset independentem ab au-
tore Commis, vel ad maiorem conscientie securitatem.

14. Qua ratione autem dignoscendum, causane fi-
nalis sit, an motiva? Aliam regulam non habeo, nisi n. 8.
insinuatam, nempe id ex circumstantiis, & præsertim ex
animo voventis à prudenti esse iudicandum: nam in-
terdum vovens est ita affectus ad unum finem, qui vide-
tetur minus principalis, ut ipsi maxime præcipitur.

Quo modo error irriter, vel non irriter votum solem-
ne professionis, ut item Matrimonium, vide in superiori-
bus de juram. cap. 3. §. 5. à n. 25.

CAPUT XIV.

De Eo, cui fit Votum.

1. Tunc est Deus, quem per vota recognoscimus:
& ab omnium auctore impetrare bona quæpiam
intendimus. Ita Sanct. Thom. 2. 2. quasi. 88. art. 4. §. 5.
Quod si quis opus bonum Sanctis promittat, duplici
modo gerere potest. Ita idem ibidem, & passim. Doct.
Primo, ut ipsi testes voti, vel mediatotes, seu inter-
cessores apud Deum; & tunc quia principaliter Deus
est, qui fit promissio, votum in omni proprietate
nominabitur. Secundo, ut ipsi immediate colantur,
spectata eorum excellentia, & spectatis beneficiis per
ipsos alicui concessis; & tunc quia promissio ipsis
Sanctis principaliter præstatur, propriè votum non est,
sed late, & proportionaliter, non tamen illicitum est
fit vovere; licet enim ipsi possunt orari, immò adorari,
propter propriam dignitatem per cultum Dulce; ita &
propter eandem possunt ipsi promissiones: bonorum

Parti I.

operum fieri quæ omnino servandæ sunt; nam secus
committeretur peccatum specialiter constitutum con-
tra fidelitatem Sanctis debitam. Certè, sicut licet nobis
pater promissionem humanam, & politicam aliquod bo-
num opus homini spondere, ut: Promitto tibi me seju-
naturum, cur non ita licebit & Sancti? Ita Nau. c. 12.
n. 15. insio.

2. Dixi (is solè esse Deus) ut innuerem, Deum esse
ordinarium finem principalem voventium, quare cum
in professione Religiosorum dicitur votum fieri coram
Deo, Sanctis, & Prælato, Deus est, cui propriè fit votum.
Sancti sunt intercessores, vel mediatores, vel testes. Præ-
latus est, vel item testis, vel ut Minister acceptans loco
Dei. Ita D. Thom. Sanch. Azor. Suar. Bon. Val. apud Castr.
tom. 3. tra. 7. §. 4. 1. p. 7. n. 2.

CAPUT XV.

De Materia Voti.

1. Materia Voti possibilis esto, honesta, non indif-
ferens, nec impediens majus bonum, quæ in
sequentibus breviter enodabimus.

§. I. Materiam Voti possibilem esse oportet.

1. IN potestate voventis id, quod quis voveret, esse
debet: quia impossibile nulla est obligatio. Ita
S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 2. aliique communiter. Si quis ta-
men videns rei impossibilitatem, illam vovet, non puto
peccatum mortaliter, Dei enim ipsa saltem gravis
hæc non videtur esse. Ita Castro Pal. 3. tr. 14. de voto, d. 1.
p. 9. §. 1. num. 14. Hinc votum de facto alieno, de non
moriendo, de non peccando, neque mortaliter, neque ve-
nialiter, & similia perinde se habent, ac si non fuissent
emissa. Solum in primo diligentia adhibenda tibi erit,
ut alius faciat rem à te promissam, is enim bonus sensus
est illius voti. Simile quid in secundo, si intenderis non
dare causam morti. In tertio an saltem obligeris ad par-
tem, nempe ad non peccandum mortaliter, quod in tua
est potestate, & alia quæ ad hoc votum de non peccan-
do pertinent, quia tale votum raro omitti solet, vide
apud Doctores ibid. à n. 6.

3. Quid de vovente, de 3, quæ separatim possibilia
sunt, unitim impossibilia, v.g. Si quis pro die hoc Domi-
nico voveat se inseriendum Hospitali; & pro eodem se
auditorium Confessiones: Respondeo, si simul per modum
unius vovit, quasi utrumque omnino voluerit exequi,
certè impossibilia vovit, atque adeò neutrum iure vovit:
At si simul, sed separabiliter, dico debere unum eligere,
sed cum distinctione, nam si unum ex his est de meliori
bono, quam alterum, illud de meliore valebit, & erit ob-
servandum, ita Sanch. in Dec. lib. 4. c. 5. n. 23. majus enim
bonum à Deo acceptari præsumitur: quòd si utrumque
votum æquale, vel quasi æquale continet bonitatem,
alterutrum licebit eligere, & observare, altero neglecto;
quæ tunc nulla est urgens ratio pro uno determinato.
Ita Sanch. ibid.

4. Nota, posse contingere, ut non simul, sed prius,
v. g. heri factum fuerit votum de uno, v. g. de inseriundo
Hospitali, & hodie de altero, v. g. de audiendis confes-
sionibus, quid erit tunc dicendum? Afferro sive memor fue-
ris prioris voti, sive immemor, valere prius votum, & sic
in exemplo allato, valere illud de serviendo Hospitali,
illudque esse servandum. Ratio est, quia prius illud jam
fuit absolute validum, suamque obligationem induxit,
ergo non potest à superveniente deici.

5. Sanchez lib. 4. in Dec. cap. 5. num. 24. aliique do-
cent, quando votum postea, factum, v. g. hodie, est ma-
joris Dei obsequij, quam votum antea factum, v. g. he-
ri, prævalere posterius, utpote Deo gratius, ac negligi
debere prius, solum si sit dubium, quòdnam sit majus
bonum.